Lex 18va

Nemo vineam fructus &c. aliorum depopulator secus fact. 1mo den 25. 2do 50 3io virgis caesus Schola ejicitor.

Lex 19na

Nemo chartis et aleis ludito, Musica abutitor 2do. nemo choreas ducito. Ille secus fact. den 9. hic virgis caesus Schola ejicitor.

Lex 20ma

Pictura chartarum penitus tollitor. s. contra veniens admonitor 2. punitor

Lex 21ma

Nemo otiose jurato, nulli convicia ullius generis, obscenosque sermones usurpanto. secus facturus Schola ejicitor

Lex 22da

Nemo extra vel intra portam Scholae fabulas nugatorias tractato. secus fact. den 25 solvito.

Lex 23tia

Omnes Scholae cives Seniori debitum honorem et obedientiam praestanto et exhibento, secus fact. partem laesam oratione publica complacanto.

Lex 24ta

Latrones in Scholam se recipientes Magistratibus puniendi exhibentor

Lex 25ta

Captivum aliquem propter delictum diligenter custodiunto. secus fact. poenae captivi aufugientis aut dimissi obnoxii sunto

Lex 26ta

Unus quisque in numerum Scholae civium recipiendus, manu stipulatione se Scholae praelatis obligato refractarius non recipitor

Lex 27a

Nemo sine venia Rectoris in campum, aut alibi, orsum exito, contravenien poenae arbitrariae subesto.

Lex 28a

Quivis Scholae civium, in curia Scholae, honeste se gerat, nec discinctus coram honestioribus personis comparere audeto, secus faciens, artienti praecedentis poenam incurrito.

Lex 29a

Nemo solus in oppidum, aut alio, sed cum socio Schola exeat

Statutum Anno 1774. 21. Aprilis Rectore Sto Kutthy

Nemo ante annum exactum Scholam deserito: secus facturus nisi inevitabili necessitate urgente omni promotione privator, nullisque commendatitiis literis instructus dimittitor

FORMULA IURANDI

Ego N. Senior Scholae Vásárhelyanae, Sancte iuro et polliceor, me omnia, quae communis Societatis felicitatem concernunt, procuraturum, et absque ulla personarum acceptione, omnes Condiscipulorum excessus, bona fide notaturum, nullam iurisdictionem, legum vigore mihi non concessam, mihi arrogaturum, bona communitatis, congesta fideliter conservaturum, Magistris huius Scholae Directoribus, quemadmodum hae leges expostulaverint obedientiam praestiturum, eorumque existimationem tum apud Oppidanos, tum apud exteros, tum apud condiscipulos, sartam, tectamque conservaturum, neve ullo pacto inter communes vel contra Rectorem, vel contra Oppidanos, Pastoresque conspiratio oriatur, materna seu vernacula lingua garrientibus, intra Scholam invigilaturum, cibos communitati dicatos, aequis portionibus aequanimiter dispensaturum, nulli ex iis iniuriam illaturum, sed eorum excessus primum Rectori, deinde iis, quibus aequum est indicaturum, me, non ultra naturae frugalis appetitum, vino, abreptam, verum sobriam, castam et exemplarem, coram alijs vitam victurum: imo etiam condiscipulos ab eadem vini intemperantia, tum intra tum vero extra Scholam prohibiturum, responsantes vel vino immodico usque ad vomitum correptos notaturum, et Rectori delaturum, ab Oeconomo mature excitatus, Symmistas an una nobiscum lectum petierint, adeoque non extra Scholam, post clausam portam, in loco suspecto aut alibi excubias egerint, sedulo examinaturum. Haec et alia, salutem universae spectantia, quantum naturae infirmitas patietur, me praestiturum. Sic me Deus trinus et unus adiuvet.